

CAPVT PRIMVM,

CUM itaque breviter de studio lexicorum omnium gentium naturali pauca dixerimus, videamusque, quanta & quàm inevitabilis necessitas pro nostro orbe christiano lexica arabico-latina conficiendi detur, idque jam publicè tentatum esse per quadraginta amplius annos, literaturâ arabicâ promovenda, hinc nos speramus sic inpræsentiârum consulturos studio orientalium linguarum, præcipuè in hoc belgio, totoque septentrione existentibus Philarabibus, ut non indignû reperiat meum consilium, quâ citissimè (potest autem publicandi initium fieri, intra octo dies, si Senatui Academiæ Patrono, uti opto, placeat) in publicum actum deducendi. Placet autem sumere proximas metas nostro lexico, quod quidem mole ac magnitudine suâ non modo non superet raphelengianum leidæ ab autore & filiis impressum, sed & quod illo esset multò minus, imò quod non nisi quatuor alphabetis, sive centum foliis constare debeat. Et quod ipsum quoque sic compositum sit, ut, dummodo operæ typographicæ strenuè pergant, intra sex menses ab hoc tempore possit esse impressum. Neque enim novi hic characteres requiruntur, nisi saltem pro alphabeti arabici quâque literâ forte ad summum decem typi, quibus totum lexicon facile queat imprimi, quoad radices. Quod quidem lexicon, uti illud, itidem in duas columnas dividetur, & in medio radicem literis arabicis exhibebit, quas sequetur latinarum significationum omnis numerus, totumq; cornu copię vocû nominumq; ab eâ descendantium, latina versione; nam de eo postea videbimus, an etiam voces descendentes arabicè sint adjiciendæ. Continebit autem hoc meum lexicon omnem laborem, quem per octodecim annos gigueus cum suis sociis in compilando autores varios, quos in præfatione citat, exhausserunt deinde continebit raphelengii tot annorum laborem, & quem vitâ finita obsignavit, morte præventus antequam editum videret totum, qui ejus labor, quæ industria, quæ optimi viri immensa diligentia non satis laudari potest, de qua filii ejus in præfatione aliqua contestantur: continebit denique totum illum laborem Dominici germani de silesia,

B

qui

Lexicon Rar

etiam commo

quia contine

Raphelengian